This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Gs 53 199.5

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

Gs 53,199.5

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics), or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books."

OBSERVATIONES STRABONIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

7, 430

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

PAULUS CASCORBI,

GRYPHIMONTANUS.

GRYPHIMONTII MDCCCLXXIX.

TYPIS EXPRESSIT C. LEMCKE.

Gs 53.199.5

HARVARD COLLEGE
AUG 19 1910
LIBRARY.
Constantius fund

395

II, 73 Cas. = II, 1, 14.

Sermo est de fertilitate Hyrcaniae, Ariae, Margianae, Bactrianae, quae multis verbis explicatur atque maximis laudibus effertur. Totam autem hanc orationem usque ad finem paragraphi pertinentem legimus eisdem fere verbis iteratam in libro XI, pp. 508 et 516, quod neminem interpretum accurate indicasse miror. Verba sunt haec:

II, 73 = II, 1, 14.	XI, 508—509 = XI, 7, 2.
ἐν μέν γε τῇ Ὑρκανίᾳ	*(Ὑρκανία.) ἡ μὲν γὰρ*
τὴν ἄμπελον μετρητὴν οἴνου	*ἄμπελος μετρητὴν οἴνου*
φέρειν φασί, τὴν δὲ συκῆν	*φέρει, ἡ δὲ συκῆ*
μεδίμνους ἑξήκοντα, τὸν δὲ	*μεδίμνους ἑξήκοντα, ὁ δὲ*
σῖτον ἐκ τοῦ ἐκπεσόντος	*σῖτος ἐκ τοῦ ἐκπεσόντος*
καρποῦ τῆς καλάμης πάλιν	*καρποῦ τῆς καλάμης ( )*[1]
φύεσθαι, ἐν δὲ τοῖς	*φύεται, ἐν δὲ τοῖς*
δένδρεσι σμηνουργεῖσθαι	*δένδρεσι σμηνουργεῖται*
καὶ τῶν φύλλων ἀπορρεῖν	*καὶ τῶν φύλλων ἀπορρεῖ*
μέλι. ὅπερ γίνεσθαι μὲν	*μέλι. τοῦτο δὲ γίνεται*
καὶ τῆς Μηδίας ἐν τῇ	*καὶ τῆς Μηδίας ἐν τῇ*
Ματιανῇ καὶ τῆς Ἀρμενίας	*Ματιανῇ καὶ τῆς Ἀρμενίας*
ἐν τῇ Σακασηνῇ καὶ	*ἐν τῇ Σακασηνῇ καὶ*
τῇ Ἀραξηνῇ.	*τῇ Ἀραξηνῇ.*

---

[1]) Adverbium *πάλιν*, quod aptissimum est ad rem et paene necessarium, etiam in p. 508 post *καλάμης* scribendum puto.

Sequitur in libro secundo enuntiatum per parenthesin dictum. Tum pergit ita Strabo:

	XI, 516 = XI, 10, 2 extr.
ἐν δὲ τῇ Μαργιανῇ τὸν πυθμένα φασὶν εὑρίσκεσθαι τῆς ἀμπέλου πολλάκις δυεῖν ἀνδρῶν ὀργυιαῖς περιληπτόν, τὸν δὲ βότρυν δίπηχυν.	(εὐάμπελος . . . Μαργιανή) φασὶ γοῦν τὸν πυθμένα εὑρίσκεσθαι πολλάκις δυσὶν ἀνδράσι περιληπτόν, τὸν δὲ βότρυν δίπηχυν.
	XI, 10, 1 extr.
παραπλησίαν δὲ λέγουσι καὶ τὴν Ἀρίαν, εὐοινίᾳ δὲ καὶ ὑπερβάλλειν, ἐν ᾗ γε καὶ εἰς τριγένειαν[3]) παραμένειν ἐν ἀπιττώτοις ἄγγεσι τὸν οἶνον.	παραπλησία δ' ἐστὶ καὶ ἡ Μαργιανὴ (τῆς Ἀρίας)· εὐοινεῖ δὲ σφόδρα ἡ γῆ[1])· καὶ[2]) γὰρ εἰς τριγονίαν[3]) παραμένει ἐν ἀπιττώτοις ἄγγεσι ( )[4]).
	XI, 11, 1.
πάμφορον δ' εἶναι καὶ τὴν Βακτριανὴν πλὴν ἐλαίου, πλησίον τῇ Ἀρίᾳ παρακειμένην.	πάμφορος (ἡ Βακτριανὴ) πλὴν ἐλαίου . . . . τῆς δὲ Βακτρίας μέρη μέν τινα τῇ Ἀρίᾳ παραβέβληται.

Quid igitur hoc est, tantam tamque longam descriptionem, ut totam paene paginam expleat, in uno eodemque opere bis eisdem fere verbis legi?

Aut alteruter locus delendus aut Strabonis neglegentia memoriaeve infirmitas satis mira accusanda. In libro

---

[1]) Haec enuntiata contrario ordine in codicibus leguntur.

[2]) Müllerus legi vult: ἡ γῇ, ἐν ᾗ γε καὶ εἰς κτλ., sed hoc minime necesse est.

[3]) Müllerus τριγένειαν etiam p. 516, Cobetus contra in Miscellan. crit. pg. 112 τριγονίαν etiam p. 73 scribendum censet. Verbum τριγονία autem, cum etiam pp. 179. 378. 540, τριγένεια nusquam apud Strabonem alibi inveniatur, Cobetum sequi malim.

[4]) Müllerus post τριγονίαν inserit subiectum: ὁ οἶνος, quod certe aegre desideratur, sed potius post verbum ἄγγεσιν legendum mihi videtur.

autem undecimo omnia non solum optime in rem atque orationis tenorem quadrant, verum etiam abesse omnino nequeunt. In libro secundo agitur de partibus Asiae in orientem maxime vergentibus, ad quas si Deimachi numeros adhiberemus, futurum esse Strabo dicit, ut Indi septentrionales, Hyrcani, Arii, Margiani, Bactriani in terra habitabili non iam locum invenirent. Attamen harum summam fertilitatem terrarum ab omnibus scriptoribus esse praedicatam, praesertim quae septentrionalibus Tauri partibus adiacerent. Atque iam exempla huius fecunditatis afferuntur eis verbis quae supra scripsi. Necesse igitur non erat haec addi, sed addita optime ferri possunt; et cui tandem imputabimus huiusmodi additamentum? Itaque Strabonem haec omnia ex libro aliquo ad verbum transscripsisse — id quod etiam verbum *φασί* p. 73 suadet — et cum librum XI scriberet, quae in libro secundo dixisset, parum memoria tenuisse existimo. Reperiuntur autem in Strabonis libris permultae rerum repetitiones, saepe illae quidem molestissimae, interdum etiam inter se discordes. Quod vitium — nam vitium hoc esse nemo negabit — quo melius quam late pateat perspiciatur, exempla huiusmodi repetitionum subscribam non omnia quidem, sed quae ad id quod volo demonstrandum sufficiant:

Euphratem et Tigridem includere Mesopotamiam quinquies in libro XI legimus: 521 = cp. 12, 3 in. *οἱ τὴν Μεσοποταμίαν ἐγκυκλούμενοι ποταμοί (Εὐφράτης καὶ Τίγρις)*; § 3 extr. *ὁ Τ. ποιεῖ τὴν Μ. πρὸς αὐτόν (Ἐ)*; 526 extr. = 14, 1 in. *ὅλης τῆς μεταξὺ Ἐ. καὶ τοῦ Τ., ἣν Μ. καλοῦσι*; 527 = § 2 *(Ἐ.) ποιεῖ τὴν Μ. πρὸς τὸν Τ.*; 530 = § 8 *Ἐ. καὶ Τ. ποιήσαντες τὴν Μ.* et hae quidem iterationes in uno eodemque libro; ex aliis accedunt: II, 88 *τὸν Τίγριν καὶ τὸν Εὐφράτην ἐγκυκλοῦσθαι τήν τε Μεσοπ.* II, 91 *ὁ δὲ Τίγρις καὶ ὁ Εὐφράτης ἐγκυκλωσά-*

μενοι τὴν Μεσ. Propria autem Mesopotamiae descriptio in libro XVI, p. 746 = XVI, 1, 21 demum extat, quo loco denuo Euphratem et Tigridem proferendos fuisse apparet.

P. 529 = 14, 8 Tigridis cursus accuratius definitur, qui ex parte iam p. 521, partim etiam in libr. XVI, 746 narratur, cf. pp. 728. 729. 739. 742.

P. 514 = 8, 8: *κύκλῳ δὲ περὶ τὴν θάλατταν μετὰ τοὺς Ὑρκανοὺς Ἀμάρδους τε καὶ Ἀναριάκας καὶ Καδουσίους καὶ Ἀλβανοὺς καὶ Κασπίους καὶ Οὐιτίους (φησὶν Ἐρατοσθένης)*; hae gentes etiam quattuor aliis locis enumerantur sive pleraeque sive omnes: 508 = 7, 1 *οἰκεῖ δὲ τὴν παρώρειαν ταύτην . . . τῶν Ἀλβανῶν τι μέρος καὶ τῶν Ἀρμενίων, τὸ δὲ πλέον Γῆλαι καὶ Καδούσιοι καὶ Ἄμαρδοι καὶ Οὐίτιοι καὶ Ἀναριάκαι*; 510 = 8, 1 *προσοικοῦσι δ' αὐτοῦ τὰ προςάρκτια μέρη πρῶτοι μὲν οἱ Γῆλαι καὶ Καδούσιοι καὶ Ἄμαρδοι, καθάπερ εἴρηται, καὶ τῶν Ὑρκανίων τινές*; 523 = 13, 3 *ἡ δὲ προςάρκτιος ὀρεινὴ . . . Καδουσίων κατοικία τῶν ὀρεινῶν καὶ Ἀμάρδων καὶ Ταπύρων καὶ Κυρτίων καὶ ἄλλων τοιούτων*; 524 = 13, 6 *τοῖς ὑπεροικοῦσι τῆς Ὑρκανίας θαλάττης Καδουσίοις καὶ τοῖς ἄλλοις, οὓς ἄρτι διήλθομεν.* Etsi igitur concedendum est, has gentes saepius enumerari necessarium fuisse, tamen tam saepe neque necessarium neque elegans fuit.

Spatia viarum, quae in paragrapho nona (p. 514) notantur, iterum legimus p. 723 extr. ex Eratosthene desumpta.

P. 511 in. = 8,1 *ἔστι δὲ ἀπὸ τῆς Ὑρκανίας θαλάττης εἰς τοὺς Ἀρίους περὶ ἑξακισχιλίους σταδίους*; eadem vide p. 516 in. = 10, 1 *διέχει δὲ (ἡ Ἀρία) τῆς Ὑρκανίας περὶ ἑξακισχιλίους σταδίους*; in his vero Müllerus post *Ὑρκανίας* inserendum esse *θαλάττης* suspicatur et ut mihi quidem videtur optimo iure. Nam semper Strabo *Ὑρκανία θά-*

λαττα dicit, cum de mari agitur, nimirum ut a terra distinguat; mare autem hic dici manifestnm est.

Quae p. 517 = 11, 3 de Caspiis exponuntur, denuo sed paulo uberius scripta invenimus p. 520 = § 8.

Quae p. 518 in. = 11, 4 extr. de Branchidis narrantur, magna ex parte eisdem cum verbis etiam XIV, 634 = XIV, 1, 5, leguntur.

P. 494 = 2, 6 et 8 angustias Bospori Cimmerii inter Achilleum et Myrmecium, p. 310 inter Achilleum et Parthenium sitas esse tradit Strabo. Et cum neuter locus ita comparatus sit, ut aut a Strabone alienus iudicari et ex oratione expelli aut facile et aliqua cum probabilitate alteri aptari posse videatur, interpretes[1]) Strabonem diversos fontes secutum quae antea contraria scripsisset iam oblitum esse recte censuerunt.

P. 524 = 13, 6 in. Cossaeos Elymaeis quondam auxilium tulisse Strabo narrat; eadem etiam in libr. XVI, 744 = XVI, 1, 18 traduntur.

P. 527 = 14, 2: tota paene haec paragraphus supervacanea dici potest, nam exceptis eis quae duobus ultimis enuntiatis exponuntur, omnia fere quae insunt iam antea in eodem hoc libro aptis locis commemorata sunt. Et primum de Euphratis cursu eadem ex p. 521 = 11, 3 didicimus. Deinde quae de Tauro et Antitauro explicantur, eisdem fere cum verbis etiam p. 521 et p. 522 relata sunt. Ita non scribit is auctor qui aliqua cum arte libros suos disposuerit atque composuerit.

P. 505 = 5,4 *κτίσεις γοῦν πόλεων καὶ ἐπωνυμῖαι λέγονται (Ἀμαζόνων), καθάπερ Ἐφέσου καὶ Σμύρνης καὶ Κύμης καὶ Μυρρίνης;* easdem urbes eodem ordine Strabo, cum de eadem re verba facit, enumerat in libr. XII, p. 530 = XII, 3, 21. cf. 573. 623. 633.

---

[1]) cf. Krameri adnotationem ad p. 494 Cas.

Oraculum de Pyramo editum et Pyrami cursus et p. 53 et p. 536 narrantur.

Titulus columnae illius in Isthmo positae adscriptus est p. 172 et p. 392.

Priamum auxilio Phrygibus contra Amazonas missum ex Homero tradit Strabo p. 552 et p. 681.

Alexandro cur exercitum per Gedrosiam ducere placuerit, exponit p. 686 et p. 722.

Aegyptum ab Herodoto *δῶρον τοῦ Νείλου* appellatam commemorat pp. 30. 36. 536.

Pharum Homero *πελαγίαν* fuisse dicit pp. 30. 38. 636.

Famosus ille versus: *οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθόν ἐσθ' ὁ πλοῦς* affertur p. 378 et 559.

Solymorum res, quae p. 667 totam paragraphum decimam explent, iam narratae sunt p. 573; cf. 630—631. 634 extr.

Haec repetitionum series aliquantum continuari potest, sed „claudite rivos" iam diu lectorem audio exclamare. Exemplis vero allatis demonstratur atque illustratur etiam id, Strabonis Geographica extremam manum non experta a summa operis perfectione longe abesse. Qua de re plura dicam ad libr. XI, p. 502.

II, 100 s. fin. = 152, 12 Kram. = II, 3, 5.

Ὁ γὰρ Ἀράβιος κόλπος ποταμοῦ δίκην στενός ἐστι καὶ μακρὸς πεντακισχιλίους ἐπὶ μυρίοις που σταδίους.

Ubicunque praepositio *ἐπί* cum dativo numeros coniungit, is numerus, qui praepositionem sequitur, apud Strabonem articulum habet: I, 35 *Ἀραβίῳ κόλπῳ . . . ἐν μήκει σχεδόν τι καὶ πεντακισχιλίων σταδίων ἐπὶ τοῖς μυρίοις;* XV, 736 *πεντήκοντα ἐπὶ τοῖς διακοσίοις ἔτη;* cf. 205. 211. 214. 233. 266. 335. 336. 701. Itaque etiam hoc loco, quem supra scripsi, *ἐπὶ τοῖς μυρίοις* scribendum esse arbitror.

Plane eodem modo a Strabone praepositio πρός cum dativo usurpatur: XIII, 589 σταδίους τετταράκοντα πρὸς τοῖς ἑκατόν; cf. 698. 791. cf. Scymn. perieg. v. 24: ἔτη δὲ τετταράκοντα πρὸς τοῖς χιλίοις.

Liceat mihi paulum a re declinanti de nonnullis praepositionis ἐπί apud Strabonem significationibus, quae quidem maxime notandae videantur, pluribus disserere verbis.

1. ἐπί c. dat. = ad, super.

Res rem sequitur, sive de spatio sive de tempore agitur, „rebusque[1]) quibusdam enumeratis novae adduntur, sed pares[2]) tantum res ἐπί praepositione coniungi solent.“ Haec quae Schaarschmidtius in Pausania probat, etiam in Strabonis sermonem quadrant. Sed Strabonis consuetudo paulo arctius constitui atque definiri potest. Nomina enim, quae praepositione ἐπί conectuntur, nunquam separantur articuloque constanter carent, et notio multitudinis semper inest in hoc dicendi genere. Ita dicitur I, 36: τινὲς ὑπερβολαὶ ἐπὶ ὑπερβολαῖς . . . ἐξοχὴ ἐπὶ ἐξοχῇ Uebertreibung auf Uebertreibung, Vorzug auf Vorzug; XVII, 788 διωρύγων ἐπὶ διώρυξι; 204 πάγων ἐπὶ πάγοις; 246 ἄλλοις ἐπ' ἄλλοις; cf. 738. 783. 831.

Inveniuntur autem talia iam apud Homerum, ut illud: ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ,
αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλή, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ,
quod est in Odyss. 7, 120; cf. Il. 14, 130.

2. ἐπί = in, versus.

Cum praepositione ἐπί, si „in regionem, versus“ significat, proprie accusativus coniungitur; genetivus autem

[1]) Schaarschmidt. de ἐπί praepos. ap. Pausan. Perieg. vi et usu, dissert. Lips. 1873, p. 16.

[2]) Thucydidem varia quoque praepositione ἐπί coniungere ostendit O. Kümmell, de praep. ἐπί cum casibus coniunctae usu Thucydideo, dissert. Lips. 1875, p. 29.

subiungi potest ita modo, si certus aliquis finis regioni atque viae indicatur. Qua ratione fit, ut, cum de caeli tractibus agitur, semper accusativus usurpetur, ut *ἐπὶ νότον* sim.; cum vero de urbibus, saepissime genetivus, perquam raro accusativus inveniatur. Ita dicitur: *ἐπὶ Ῥώμης* 227 (nusquam apud Strabonem praepositio *ἐπί* regit accusativum huius nominis), cf. 233. 249. 226. 281. 323. 352. 391. 408 etc., *ἀπεχώρησαν ἐπ' οἴκου* 214. 714, *ἐπὶ τοῦ Ἰαξάρτου* 507, *ἐπὶ τοῦ στόματος αὐτῆς (θαλάττης)* 494, *ἐπὶ τῶν Χαλύβων* 678. Contra cum accusativo: *ἐπὶ Βρεντέσιον* 249, *ἐπὶ τὰς Φορμιάς* 233, *ἐπὶ Σίλαρον* 251, *ἐπὶ τὸν Εὔξεινον* 678, *ἐπὶ τὸ πέλαγος* 248, *ἐπὶ τὰ ὄρη* 77 etc. Atque etiam aliis cum praepositionibus iungitur *ἐπί*, cf. *ὡς ἐπὶ Βάκτρων* 724; *ἕως ἐπὶ Θάψακον* 747.

Ceterum in Hannonis periplo praepositio *ἐπί*, nisi hac cum significatione et accusativum recipiens, non legitur.

3. *ἐπί* = ad, (francogall. lingua) sur.

Ex rei natura sequitur, ut praepositio *ἐπί* apud Strabonem, utpote geographum, saepissime ita inveniatur, ut significet „ad", „an". Qua in re quamquam longe usitatissimus est dativus, tamen interdum etiam genetivus usurpatus est. Atque cum horum casuum rationem in Pausaniae libris simillimam esse ex Schaarschmidtii accurata quaestione viderem, neque iniucundum neque inutile mihi est visum, numeros, quos ille[1]) hac in re Pausaniae libris perlectis attulit, comparare cum eis, quos Strabonis scriptis percursis repperi. Sunt igitur hi:

ἐπὶ θαλάττῃ invenitur apud Pausan. locis 42, apud Strab. (sive *θαλάττῃ* sive nomen maris dictum est) locis 70;

ἐπὶ θαλάττης Paus. 9, Str. 4.

ἐπὶ Εὐξείνῳ πόντῳ, ἐπὶ Ἑλλησπόντῳ Paus. 1.

---

1) Schaarschmidt. l. l. p. 14—15.

ἐπὶ ὠκεανῷ Paus. 1, Str. 6. ἐπὶ Εὐρίπῳ Paus. 4.
ἐπὶ πορθμῷ Paus. 3, Str. 2.
ἐπὶ λίμνῃ Paus. 1, Str. 6; ἐπὶ λίμνης Str. 6.
ἐπὶ ἕλεσι, ἐπὶ κόλπῳ, ἐπὶ μύχῳ τοῦ κόλπου, ἐπὶ τῇ διώρυγι, ἐπὶ ὄχθῃ, ἐπὶ ἀκταῖς singula Str. 1.
ἐπὶ ποταμῷ Paus. 33, Str. (sive nomen fluminis dictum est) 56; ἐπὶ ποταμοῦ Paus. 1, Str. 6.
ἐπὶ συμβολῇ sive ἐκβολαῖς ποταμῶν Str. 4.
ἐπὶ χείλει Str. 3. ἐπὶ κρήνῃ Paus. 3.
ἐπὶ πηγῇ Paus. 9. ἐπὶ κλύδωνι Paus. 1.
ἐπὶ ὕδατι Paus. 1, ἐπὶ ὕδατος Paus. 1.
ἐπὶ ἀναχύσεσι Str. 1, ἐπὶ ἀναχύσεων Str. 1.
ἐπὶ στόματι Paus. 1, Str. 5; ἐπὶ στόματος Str. 1.
ἐπὶ ὁδῷ Paus. saepe, Str. 9; ἐπὶ ὁδοῦ Str. 3[1]).

Addo[2]) haec ex Scylace Caryand. et Scymno Chio exempla, quae non omnia me collegisse doleo:

ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ κόλπου Scyl. § 14. 50. 106; ἐπὶ στόματος Scyl. 35. 67; Scymn. v. 835.
ἐπὶ θαλάττῃ Scyl. 64, Scymn. 666; ἐπὶ θαλάττης Scyl. 33.
ἐπὶ ποταμῷ Scyl. 67. 94.
ἐπὶ ποταμῶν συμβολαῖς Scymn. 805.

De alia ἐπί praepos. significatione dicam ad Strab. XIV, 679.

---

[1]) Strab. I, 49 Cas. = I, 3, 4 in verbis καθάπερ φησὶ περὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἄμμωνος καὶ τὴν ἐπ' αὐτῷ ὁδὸν τρισχιλίων σταδίων οὖσαν illud quod est ἐπ' αὐτῷ non recte se habet. Significat enim „apud templum". Hoc autem loco totam viam a mari usque ad templum dici et res indicat et verba quae addita sunt τρισχιλίων σταδίων οὖσαν. Itaque non ἐπί cum dativo quadrat ad rem, sed cum genetivo vel accusativo; exempla vide supra. Scribo igitur ἐπ' αὐτοῦ, quia dativus facilius ex genetivo quam ex accusativo nasci potuit.

[2]) Ex Thucydide exempla vide apud Kümmell., l. l. p. 20 sequ. qui dativos modo affert.

II, 106 = 159, 15 = II, 4, 3.

δοκεῖ μοι πεπλανημένως λέγεσθαι τοῦτο ἢ πολὺ τὴν Λιβύην κατὰ τοῦτο τὸ μέρος προςνεύειν ἐπὶ τὸν ἄρκτον.

Corrigendum esse *προνεύειν* existimo, quod verbum unice proprium est huius rei, significat enim „prominere". Idem vitium delendum mihi videtur ex libr. XIII, 615, ubi legitur: *αὐτὸ δὲ καθ' αὑτὸ (τὸ Αἰγὰ ὄρος) ἱκανῶς συνέσταλται, προςνεύει δὲ ἐπὶ τὸ Αἰγεῖον πέλαγος.* Verbum *προνεύειν* cum ea quam requirimus significatione scriptum est in l. XVII, 794: *χῶμα ἔτι μᾶλλον προνεῦον εἰς μέσον τὸν λιμένα.* Quam saepe autem praepositiones *πρός* et *πρό* inter se confusae sint, omnibus notum est[1]).

III, 147 = 227, 2 = III, 2, 9.

γεννᾶσθαι δ' ἔν τε τοῖς ὑπὲρ τοὺς Λυσιτανοὺς βαρβάροις καὶ ἐν τοῖς Καττιτερίσι νήσοις (τὸ καττίτερον.)

Niesio[2]), qui *βαρβάροις* in *Ἀρτάβροις* mutari vult, re leviter aspecta optima atque speciosa emendatio contigisse videtur, quam tamen, si accuratius in rem inquisiverimus, plane falsam esse facile intellegemus. Nam cum paulo post dicatur: *ἐν δὲ τοῖς Ἀρτάβροις, οἳ τῆς Λυσιτανίας ὕστατοι πρὸς ἄρκτον καὶ δύσιν εἰσίν, ἐξανθεῖν φησι τὴν γῆν ἀργύρῳ, καττιτέρῳ κτλ.*, nonne ex his concludi debet, Artabros supra nondum esse commemoratos? Qua autem interrogatione Niese codicum lectionem infringere studet: „an Lysitani barbari non fuerunt?", respondemus „certo fuerunt", sed quid inde efficitur? Quidni dicamus „barbari supra Lysitanos et ipsos barbaros habitantes"? Nonne licet sermonem facere de Germanis supra Bavaros habitantibus? An ex his verbis Bavaros non Germanos

---

[1]) cf. Plut. Brut. 1 Wyttenbach.; Niese in Ind. Lectt. Marburg. 1878 p. XI, qui recte Strab. p. 497 *προςπίπτοντα* correxit in *προπίπτοντα.*

[2]) l. l. p. VI.

esse Niese concludet? Ultro etiam exemplum huius dicendi rationis extat apud ipsum Strabonem XVII, 839: *Παρθυαῖοι καὶ οἱ ὑπὲρ τούτων βάρβαροι.* Teneamus igitur codicum lectionem et accipiamus barbaros illos, Carpetanos, Vettones, Vaccaeos, Gallaicos, quos enumerat Strabo p. 152—153.

III, 161 = 250, 4 = III, 4,10.

ἡ δ' ὑπερκειμένη μεσόγαια . . . δυεῖν μάλιστα ὄρεσι διορίζεται.

Ex constanti usu Strabonis emendamus *δυσίν*. Hisce enim formis verbi *δύο* utitur Strabo: nom., accus. *δύο*, gen. *δυεῖν*, dat. *δυσί*. Genetivus *δυεῖν* invenitur quadragies (68. 76. 85. 89. 108. 137. 148. 217. 219. 222. 226. 237. 242. 263. 264. 308. 318. 336. 378. 386. 431. 475. 477. 536. 537. 556. 560. 561. 647. 664. 698. 703. 738. 752 (bis). 754. 808. 814. 816. 820.)

Semel legitur genetivi forma *δύο*, XVI, 782: *δύο μὲν οὖν ἡμερῶν ὁδόν*, quae sine dubio in *δυεῖν* corrigenda est. Dativus *δυσί* invenitur vicies (111 (bis). 191. 202. 238. 247. 344. 384. 402. 426. 435. 534. 553. 575. 660. 689. 700. 792. 793. 826).

V, 216 = 341, 17 = V, 1, 10.

εἶτ' ἐκ διαδοχῆς τῶν τόπων ἀμφισβητοῦντες[1]) *πολλὰς τῶν κατοικιῶν τὰς μὲν Τυρρηνικὰς ἐποίησαν, τὰς δ' Ὀμβρικάς· πλείους δὲ τῶν Ὀμβρικῶν· οἱ ἐγγυτέρω γὰρ ἦσαν.*

---

[1]) Verbum *ἀμφισβητεῖν τινος*, quod significat „vindicare sibi aliquid sive aliquem contra alius voluntatem", ut apud alios scriptores raro invenitur, ita Straboni in deliciis fuisse videtur qui id usurpat et cum res vindicatur, cf. 216. 327. 337. 392. 402. 451 et cum homo (vel deus), cf. 623. 645 (Homerus). 803 (Osiris). Apud Demosthenem et Polybium passim legitur *ἀμφισβητεῖν τινὸς χρήματος* et in C. J. gr. I, p. 114. ubi Boeckhius adnotat: „*ἀμφισβ. τινός* maxime est de vindicatione, *περί τινος* de controversia universim". Cum homine coniunctum inveni modo apud Themist. p. 46 B

Verba *πλείους δέ* mutat Meinekius[1]) in *πλείους δ' αἵ*, quam coniecturam optimam Niese[2]) probat, Müllerus, ut saepius, ne commemorat quidem.

Tum Meinekius edidit: *οἳ ἐγγυτέρω ἦσαν*, quae Müllerus recepit, Niese autem acerrimis verbis oppugnat.

Dicit enim haec: „At vix crederes, tantum virum (Mein.) tam inconsiderate egisse; nihil enim differunt: *οἳ ἐγγυτέρω ἦσαν* et *οἱ ἐγγυτέρω γὰρ ἦσαν*; nec videtur ille intellexisse, ut *οἱ ἐγγύς*, sic optime dici *οἱ ἐγγυτέρω*". Itaque codicum scripturam servat. At videat v. d., ne opprobriae, quae Meinekio obicit, in ipsum recidant. Ac primum *οἱ ἐγγυτέρω* optime dici nemo unquam infitias ibit neque Meinekius, vir graecum sermonem insigniter callens, nescivit. Iam vero *οἳ ἐγγυτέρω ἦσαν* et *οἱ ἐγγυτέρω γὰρ ἦσαν* ita differunt, ut illud rectissime se habeat, hoc secus. *οἱ ἐγγυτέρω* enim praedicatum enuntiati est, quod fieri non potest quin articulo careat. Hoc cum intellegeret Meinekius, *γάρ* particula deleta scripsit pronomen relativum.

Articulum autem post verbum *εἶναι*[3]) praedicato adiunctum invenimus his locis Strabonis: II, 122 *τὸ δ' ἑῷον τοῦ πελάγους πλευρὸν ἡ Σικελία ἐστὶ καὶ οἱ ἑκατέρωθεν αὐτῆς πορθμοί*; simillime XVI, 765 *τὸ μὲν προςάρκτιον πλευρὸν ἡ λεχθεῖσά ἐστιν ἔρημος, τὸ δὲ ἑῷον ὁ Περσικὸς κόλπος, τὸ δὲ ἑσπέριον ὁ Ἀράδιος, τὸ δὲ νότιον ἡ μεγάλη θάλαττα* et IX, 425 *τὸ μὲν γὰρ αὐτῆς ἐστιν οἱ πρὸς Εὔβοιαν*

ἀμφ. τῶν αἰχμαλώτων. Praepositio adnexa est verbo apud Strabonem in his exemplis: VIII, 375 *(Αἴγινα) περὶ πρωτείων ἀμφισβητήσασα. πρὸς Ἀθηναίους*; I, 66 *γένοιτο γὰρ ἂν καὶ ἐπὶ τούτων (ἠπείρων) ἡγεμόσι μεγάλοις ἀμφισβήτησις.*

[1]) Vindic. Strab. p. 47.

[2]) l. l. p. VII.

[3]) cf. Kühner ausführl. Gramm. II, p. 514 et quae dixi ad Strab. XIV, 658.

Λοκροί, . . . τὸ δὲ λοιπὸν οἱ ἑσπέριοί εἰσι Λοκροί. XVII, 791 *τὸ πλεῖστον τοῦ ἔργου τούτου καὶ τὸ κυριώτατον ἡ Ἀλεξάνδρειά ἐστι καὶ τὰ περὶ αὐτήν.* XI, 521 *τὸ δ' οὖν νοτιώτατον μάλιστά ἐστιν ὁ Ταῦρος.* XI, 506 *τὰ ὑψηλότατα . . τὰ νοτιώτατά ἐστι, τὰ κτλ.* XV, 685 *τὰ περιλειπόμενα τῆς Ἀσίας ἐστὶ τὰ ἐκτὸς τοῦ Ταύρου.* XVII, 835 *ἡ δ' ὑπὲρ τῶν Γαιτούλων ἐστὶν ἡ τῶν Γαραμάντων γῆ.* XI, 505 *οἱ δὲ πλάσαντες ἦσαν οἱ . . φροντίζοντες κτλ.* XVI, 754 *οἱ γὰρ καταφεύγοντες ἐπ' αὐτοὺς οὐχ οἱ τυχόντες ἦσαν, ἀλλ' οἱ κτλ.* et: *τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἀναθλιβὲν (ὕδωρ) τὸ τῆς θαλάττης ἐστί.* Quibus omnibus in exemplis ab illius ratione longe distantibus articulum optimam vim habere ac omitti plane non potuisse facile intellegitur.

IX, 430 = 294, 8 = IX, 5, 2.

ἡ Βοιβηΐς, ἐλάττων ἐκείνης καὶ πλησιεστέρα τῇ παραλίᾳ.

Offendit comparativi forma in — *ες* et corrigenda videtur in *πλησιAΙτέρα;* hac enim forma Strabo aliis locis semper utitur; cf. 40. 216. 606. 647. 727. 753 et *πλησιαίτατα* 511. Ceterum prima manus optimi codicis Parisini A haec verba non exaravit, sed lacuna, quam illa reliquit, secunda manu et deteriore illa quidem expleta est. Formam autem comparationis in — *αιτερος,* — *αιτατος* invenimus apud Strabonem etiam in verbis: *μεσαίτατος* 539 et 809; *προυργιαίτατος* 697, qui superlativus ab Hesychio et Suida commemoratur, sed excepto hoc Strabonis exemplo in litterarum monumentis nusquam exstare videtur.

X, 447 = 338, 2 = X, I, 9.

Χαλκὶς δ' ὁμώνυμος λέγεται καὶ ἐν Αἰτωλίᾳ „Χαλκίδα τ' ἀγχίαλον Καλυδῶνά τε πετρήεσσαν" καὶ ἐν τῇ νῦν Ἠλείᾳ· „βὰν δὲ παρὰ Κρουνοὺς καὶ Χαλκίδα πετρήεσσαν" οἱ περὶ Τηλέμαχον ἀπιόντες παρὰ Νέστορος εἰς τὴν οἰκείαν,

Prior ille versus legitur in Iliade B, 640; alter, quem Barnesius in Odyss. o, 295 intulit Strabonis verbis nisus, postea ab omnibus Homeri editoribus inde a Bekkero reioctus est. Eundem versum Strabo iam VIII, 350 adscripserat, sed ibi omnes codices concinentes *Χαλκίδα καλλιρέεθρον* exhibent. Quod adiectivum etiam hoc quem tractamus loco pro verbo *πετρήεσσαν* scribendum esse arbitror; *πετρήεσσαν* nihil est nisi error scribae, cui ex priore versu adhuc ante oculos obversabatur[1]). Sed fortasse omnia, quae supra scripsi, a Strabone abiudicanda sunt.

XI, 502 extr. = XI, 4, 5.

In paragrapho quarta et quinta Albanorum mores atque vitae rationes describuntur. Sunt igitur Albani *ἀκοντισταί . . . καὶ τοξόται, θώρακας ἔχοντες καὶ θυρεούς, περίκρανα δὲ θήρεια παραπλησίως τοῖς Ἴβηρσιν. θηρευτικοὶ δὲ καὶ αὐτοὶ καὶ οἱ κύνες αὐτῶν κτλ.* Inter haec duo enuntiata, quae optime cohaerere nemo non videt, in codicibus omnibus haec de Albanorum Caspiana inserta sunt: *ἔστι δὲ τῆς Ἀλβανῶν χώρας καὶ ἡ Κασπιανή, τοῦ Κασπίου ἔθνους ἐπώνυμος, οὗπερ καὶ ἡ θάλαττα, ἀφανοῦς ὄντος νυνί. ἡ δ' ἐκ τῆς Ἰβηρίας εἰς τὴν Ἀλβανίαν εἰσβολὴ διὰ τῆς Καμβυσηνῆς ἀνύδρου τε καὶ τραχείας ἐπὶ τὸν Ἀλαζόνιον ποταμόν;* quae „institutam[2]) orationem incommode interrumpunt, ut, quo consilio addita sint, nullo modo possit intellegi.“ Verba autem, quae secuntur in codicibus, *αὐτοὶ καὶ οἱ κύνες αὐτῶν* verbis illis interiectis nihil habent quo referantur. „Quare“, Meinekius pergit, „si ab ipso Strabone ista scripta sunt, necessario alium in locum transferenda sunt“. Sed in quemnam? Commo-

---

[1]) cf. hymn. hom. 2, 247: *βὰν δὲ παρὰ Κρουνοὺς καὶ Χαλκίδα καὶ παρὰ Δύμην.*

[2]) Meinekius Vind. p. 186.

dum non reperiemus. Neque vero ab interpolatore ista esse profecta videntur. Itaque Strabonem in margine ipsum sibi notasse haec existimo. Rectissima enim est Meinekii sententia, quam in praefatione Vindiciarum[1]) explicat his verbis: „Ita enim existimo, Geographumena sua Strabonem imperfecta reliquisse neque ad eam compositionis speciem absoluta, quam ipse animo praeformatam habuit. Hinc magna illa totius operis inaequalitas, cuius ut aliae partes[2]) non tantum propter rerum tractatarum diligentiam, sed etiam ob orationis et perspicuitatem et suavitatem egregiam laudem merentur[3]), ita aliae tanta neglegentia[4]) scriptae sunt, vix ut eiusdem scriptoris esse videantur ac manifestum sit, postremam auctoris manum operis summae defuisse. Ac cum non continuo labore, sed per intervalla scripsisse videatur[5]), minime mirandum est auctorem, succrescente inter ipsum commentandi nisum materia, multa passim superioribus ad sententiam

[1]) p. VI.

[2]) In hunc numerum refero descriptionem Italiae, Graeciae, patriae Amasiae, Indica etc.

[3]) Ritter. Geschichte der Erdkunde und der Entdeckungen p. 114 Strabonis aciem mentis atque iudicium laudat.

[4]) imprimis maxima pars libr. XI et XII - cf. etiam Kramer. et Müller. ad XV, 731 Cas. = p. 253, lin. 20 Kr. = p. 622, lin. 34 Didot.

[5]) Quo temporis spatio Strabonis opus scriptum sit, quam accuratissime fieri potest, exponit B. Niese in „Hermes“, vol. XIII, p. 33 sequ., cui maxima ex parte assentior. Demonstrat igitur eam operis partem, quae est a libr. IV, p. 206 Cas. usque ad libr. XII, 556, exeunte anno duodevicesimo et initio anni undevicisimi p. C. scriptam esse, deinde XVI, p. 749 paulo post initium eiusdem anni (sed quominus in fine anni vel initio insequentis anni haec scripta esse dicamus, illud νῦν, quod est in verbis: νῦν δ' ἐπαρχία γέγονεν ἡ Κομμαγηνή, nihil impedit); denique libr. XVII, pp. 828 et 840 paulo post Jubae mortem, quam anno XXIII p. C. factam esse contra Niesium puto cum Rühlio, cf. Fleckeisen. annal. vol. 117, p. 542 sequ. et L. Müller. numismatique de l' ancienne Afrique III, p. 111.

suam aut explicandam aut supplendam addenda habuisse, quae primum in margine notaret, postea si vita suppeteret, ad iustam orationis formam redacta reliquis interponeret." Huc pertinent etiam errores passim commissi[1]) ac repetitiones creberrime factae. Inter ea autem, quae Strabo in margine ipse adnotasse videtur, numerandum esse censeo et illum locum, a quo profectus sum, et alios nonnullos, ad quos perlustrandos atque expendendos nunc transeo.

XI, 503 = XI, 4, 6 extr. leguntur haec verba: *φέρει δ' ἡ γῆ καὶ τῶν ἑρπετῶν ἔνια τῶν θανασίμων καὶ σκορπίους καὶ φαλάγγια. τῶν δὲ φαλαγγίων τὰ μὲν ποιεῖ γελῶντας ἀποθνήσκειν, τὰ δὲ κλαίοντας πόθῳ τῶν οἰκείων*, quae verba huc minime quadrant[2]). Nam in continua[3]) morum atque institutorum Albanorum descriptione de improviso illa de quibusdam Albaniae animalibus inculcantur. Sed aptiorem quo legantur locum nusquam video neque interpolatori ista tribuerim, sed a Strabone ipso adnotata esse duco.

Idem dicendum est de eis, quae in fine § 8 extant: *λέγεται δ' Ἰάσονα μετὰ Ἀρμένου κτλ.*, quae cum et ipsa molestissima sint et eadem narratio p. 530 prolixior et accuratior, ut Penzelii verbis utar, prodeat, Penzelius et Tzschuckius spuria iudicaverunt et Meinekius[2]) quoque suspecta habuit, servant contra Groskurdus, Kramerus, Müllerus; quanquam causa ab his allata, cum verba *καθάπερ εἴρηται*, quae p. 530 leguntur, huc spectare dicant, mihi dubitationis aliquid habere videtur. Nam si revera Strabonis illud *καθάπερ εἴρηται* scribentis menti atque oculis haec quae tractamus obversata essent, non,

---

[1]) cf. Kramer. ad libr. VI, 519; Müller. ad p. 529 et 532 Cas. (= p. 454, lin. 9. 18. 19; p. 456, lin. 23 ed. Didot.)

[2]) Meinek. Vind. p. 186.

[3]) cf. quae dixi p. 14 ad l. XI, 502.

credo, eandem rem eisdem verbis iterasset: novi enim fere nihil affert nisi auctorum nomina. Itaque potius putarim Strabonem in Thessalicis de urbis Armeni situ se disseruisse arbitratum illuc remittere lectorem voluisse. Sed ut eo revertar, unde digressus sum, haec quae de Jasone p. 503 narrantur retineo atque Straboni imputo eam ob rem, quod quibus de causis quove consilio[1]) quis huiusmodi narrationem in Strabonis verba hoc loco inferserit, neminem existimo dicere posse.

Etiam quae XI, 504 = XI, 5, 2 de Mermoda flumine traduntur: *ὁ δὲ Μερμόδας καταράττων ἀπὸ τῶν ὀρῶν διὰ τῆς τῶν Ἀμαζόνων καὶ τῆς Σιρακηνῆς καὶ ὅση μεταξὺ ἔρημος εἰς τὴν Μαιῶτιν ἐκδίδωσι*, incommode interrumpunt orationem de Gargarensium et Amazonum societate institutam; itaque Penzelius et Tzschuckius pro additamento ea habuerunt et Meinekio[2]) item suspecta sunt. Contra quos verissime Kramerus: „neque" inquit „talia sunt qualia eiusmodi additamenta esse solent neque video locum aptiorem quo scripta fuisse iure conicias". Rem igitur in medio relinquit. Sed ut meam sententiam proferam, etiam haec Strabo, quae suo loco transmiserat, cum primum aut ei venere in mentem aut scripta legit in libro aliquo, in margine notabat[3]).

XI, 498 = XI, 2, 17 *κακωθείσης γὰρ χώρας „νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν οὐδὲ τιμᾶσθαι θέλει" φησὶν Εὐριπίδης.*

---

[1]) Madvigius advers. crit. p. 64 optime: Nihil igitur additamentum habendum est, nisi quod et ipsum iustam habeat in sententia aut oratione offensionem et cuius addendi causa probabilis et a scribarum simplicitate non abhorrens ostendi possit et quod consilio addentium aliquo modo respondere intellegatur.

[2]) Vind. p. 186.

[3]) Groskurdi sententiam, qui Mermodam fluvium eundem esse atque eum, quem supra Mermadalim Strabo nominavit, et utrobique Mermadalim scribendum esse censet, refutavit Ukertus Geogr. vol. III, 2, p. 548.

Meinekio[1]) haec ineptissime incultata esse videntur, „quamquam ea ab ipso Strabone adiecta esse non praefracte negaverim". Sed cum talia Strabo nusquam addere soleat, eruditi vero lectores poetarum versus[2]) large effuseque sparserint, ista non a Strabone profecta, sed delenda esse puto. Neque aliter iudico de eis, quae in l. XV, p. 730 = XV, 3, 8 de Darii elogio sepulcri narrantur: *μέμνηται δ' Ὀνησίκριτος καὶ τὸ ἐπὶ τοῦ*[3]) *Δαρείου τάφῳ γράμμα*[4]) *τόδε· φίλος ἦν τοῖς φίλοις· ἱππεὺς καὶ τοξότης ἄριστος ἐγενόμην· κυνηγῶν ἐκράτουν· πάντα ποιεῖν ἠδυνάμην.* Haec verba admodum leviter cum re tractata cohaerent et orationis continuitatem moleste turbant. Nam postquam in eis, quae proxime antecedunt, de Cyri tumulo sermo fuit, verba illa quae Darii tumulo commemorato secuntur ex Aristo petita, qui „*λέγει δίστεγον τὸν πύργον καὶ μέγαν*" *κτλ.*, non ad Darii, sed ad Cyri tumulum, etsi nulla addita est explicatio, referenda sunt. Itaque ea quae supra scripsi verba a Strabone aliena esse opinor.

XI, 505 = XI, 5, 5.

In verbis, quae hic leguntur: *οἷον τὸ τὸν Καύκασον μετενεγκεῖν εἰς τὰ Ἰνδικὰ ὄρη καὶ τὴν πλησιάζουσαν ἐκείνοις ἑῴαν θάλατταν ἀπὸ τῶν ὑπερκειμένων τῆς Κολχίδος καὶ τοῦ Εὐξείνου ὁρῶν*, hoc verbum *ὁρῶν* Haasius[5]) corrrigi iubet in *ὁρᾶν*. „Haec enim", dicit, „est illa nugacissimorum scriptorum fictio, ut prospectasse Macedones dicerent a Caucaso mare Indicum quasi ante pedes positum,

---

[1]) Vind. p. 184.

[2]) cf. p. 2 s. fin., 9 in., 17, 47 in., 342, 864, 370 etc.

[3]) Dativum *τῷ*, quem exhibent codices m, o, x, z et editiones ante Kramerum, iure Müllerus mihi restituisse videtur.

[4]) Kramerus *ἐπίγραμμα*, quod extat in codice i, scribi vult, sed hoc non necessarium est, cf. Steph. Thes. s. v. *γράμμα*.

[5]) Haase, emendationes faciles etc. in Programm. Vratislav. ad diem natalem Frid. Guil. IV rite celebr., 1858, p. 9.

quod plus quam tricies mille stadiis distabat". Sed quamvis pulcra imago sic oculis nostris oblata esse videatur, tamen emendationem falsam esse apparet his ex causis. Si enim Caucasus mons in Indicos montes revera relatus est, non iam *τῆς Κολχίδος καὶ τοῦ Εὐξείνου ὑπέρκειται* neque hinc mare Indicum prospicitur, sed ab Indico ut ita dicam Caucaso. Praeterea offendo et in infinitivo praesentis *ὁρᾶν*, pro quo aoristum exspectares et in eo, quod ad *μετενεγκεῖν* et *ὁρᾶν* diversa subiecta essent subaudienda, cum *οἱ μετενέγκαντες* sint scriptores illi, *οἱ ὁρῶντες* essent Macedonum milites. Iam videamus, quibus causis commotus Haasius codicum lectionem emendare studuerit. Primum „parum recte dicetur Caucasus a Colchicis montibus, qui ipsi Caucasus sunt, in Indicos transferri". Sed plane recte hoc dicitur; Caucasus transfertur in Indicos montes ab eis, qui usque ad haec scriptorum somnia Caucasus nominabantur, id quod statim sequitur: *ταῦτα γὰρ οἱ Ἕλληνες καὶ Καύκασον ὠνόμαζον καὶ ἐνταῦθα κτλ.*, ita ut ab his scriptoribus non qui supra Colchidem et Pontum Euxinum iacent montes Caucasus appellentur, sed Indicus aliquis mons supra Indicum mare. At „*εἰς*" non recte de mari dicitur". Sed hoc nihili est. Simili modo paulo post scriptum est: *τοὔνομα τοῦ ὄρους μετενέγκαντες εἰς τὴν Ἰνδικήν.* Eadem autem res traditur etiam in libr. XV, 688.

XI, 514 = 467, 1 = XI, 8, 8.

διείργειν δὲ Σάκας μὲν καὶ Σογδιανοὺς τὸν Ἰαξάρτην, καὶ Σογδιανοὺς δὲ καὶ Βακτριανοὺς τὸν Ὦξον.

Expunge molestum illud *καί*, quod est post *Ἰαξάρτην*. Discernuntur inter se binae gentes, Sacae a Sogdianis — Sogdiani a Bactrianis, et cum in priore parte *μέν* positum sit, ei in altera *δέ*, non *καὶ — δέ* respondere necesse est. *καὶ — δέ* significat semper: „atque etiam", cf. p. 1. *οἵ τε γὰρ πρῶτοι . , τοιοῦτοί τινες ὑπῆρξαν· Ὅμηρός*

τε καὶ Ἀναξίμανδρος . . . καὶ Δημόκριτος δέ; p. 3 *καὶ αἱ τῶν μακάρων δὲ νῆσοι πρὸ κτλ.;* p. 4 . . *οἶδεν ὅτι . . . καὶ τοὺς ἀθρώπους δὲ οἶδε;* sed exempla sunt ubique et apud Strabonem et apud alios scriptores [1]). Negationem si addimus, fit *οὐδὲ — δέ,* cf. XI, 508 *οὐδὲ τοῖς περὶ Ἀλεξάνδρου δὲ συγγράψασι ῥᾴδιον πιστεύειν* (antea dictum est, fidem minimam esse habendam scriptoribus vetustioribus); 599 *οὐδ' ἡ τοῦ Ἕκτορος δὲ περιδρομή κτλ.*

XI, 524 extr. = XI, 13, 6.

εἰσὶ δὲ καὶ Λαοδίκειά τε καὶ Ἀπάμεια καὶ ἡ πρὸς Ῥάγαις καὶ αὐτὴ Ῥάγεια, τὸ τοῦ Νικάτορος κτίσμα κτλ.

Haec verba aperte corrupta interpretes variis modis sanare studuerunt. Ac primum quidem cum manifestum sit urbis nomen post verbum *Ῥάγαις* excidisse, Groskurdus eumque secuti Kramerus et Meinekius inseruerunt *Ἡράκλεια* coll. p. 514 [2]), Müllerus autem confidenter *Ἀχαΐς* inserendum esse dicit, quod nomen Heracleae ab Antiocho impositum esse tradit Plinius [3]). Cum vero hoc nomen apud Strabonem nusquam inveniatur, Groskurdum sequi malim. Deinde vero *πρὸς Ῥάγᾳ* Meinekius et Müllerus coniecerunt omnesque editiones *καὶ αὐτὴ Ῥάγα* in sequentibus exhibent excepta Groskurdiana, quae *αὐταὶ Ῥάγαι* scribit. Quanam igitur forma huius nominis Strabo usus est? Omnibus aliis locis pluralem numerum *Ῥάγαι* invenimus, et p. 60 [4]) Duride auctore et p. 514 quater ex Apollodoro, ut videtur, et p. 525 [5]) = XI, 13, 6, id est sex fere lineis post singularem illam formam quam volunt. Itaque Strabonem diversos auctores secutum

---

[1]) cf. Schaefer. ad Longum p. 350; Krüger. ad Xen. Anab. I, 1, 2

[2]) *ἔστι δ' Ἀπάμεια καὶ Ἡράκλεια, πόλεις περὶ τὰς Ῥάγας.*

[3]) Plin. N. H. 6, 16 (18), 48.

[4]) *τὰς Ῥάγας τὰς κατὰ Μηδίαν.*

[5]) *περὶ τὰς Ῥάγας.*

medias inter plurales formas semel singulari usum esse, quod Müllerus contendit, credat Iudaeus Apella. Unus recte mihi videtur Groskurdus sensisse, qui p. 524 ut supra dixi pro verbis *αὐτὴ Ῥάγεια* satis facili mutatione *αὐταὶ Ῥάγαι* correxit. Quo vero Stephani Byzantii loco Kramerus, alii nixi formam *Ῥάγα* tuentur, et loco aperte ex Strabonis verbis hausto, etiam illic puto *Ῥάγαι* scribendum esse. Stephanus enim s. v. *Ῥάγα* tradit haec: *Ῥάγα, πόλις ἐν Μηδίᾳ, (τὸ*[1]*) ἐθνικὸν τῆς μὲν Ῥαγὸς Ῥάγιος, τῆς δὲ Ῥάγαι Ῥαγηνὸς ὡς Καρρηνός.) ἐκτισμένη ὑπὸ Σελεύκου τοῦ Νικάτορος. ἐκαλεῖτο δὲ (καὶ) Εὔρωπός. μετωνομάσθη δὲ καὶ Ἀρσάκη ἀπὸ Ἀρσάκου, βασιλέως τῶν Περσῶν. ἔστι νῆσος Λυκίας Ῥάξ, ἀλλὰ ταύτης μὲν τὸ ἐθνικὸν Ῥάγιος, τῆς δὲ πόλεως Ῥαγηνός.* Post hoc quod ultimum est vocabulum *Ῥαγηνός* Meinekius fortasse verba *ὡς Καρρηνός* addenda censet. Quod mihi probabile videtur, sed nihil nunc refert; nam ipsa haec in comparationem vocata vox *Καρρηνός*, nempe a *Κάρραι*, luce clarius demonstrat, olim in Stephani Ethnicis *Ῥάγαι* scriptum fuisse. Hanc autem formam *Ῥάγαι* etiam Diodorus 19, 44 praebet, qui nomen eadem qua Strabo (pp. 60 et 514) ratione natum narrat; *Ῥαγαί* legitur apud Athenaeum 12, p. 513 F, *Ῥάγα* apud Isidor. Charac. Mans. Parth. § 7.

XII, 552 = 536, 16 = XII, 3, 24.

πρῶτον τοίνυν ἀπαιτήσομεν αὐτὸν τίνες εἰσὶν οἵ κτλ.

Niesius[2]) post *αὐτὸν* inseri iubet *λόγον* parum recte, ut ostendit locus persimilis XIV, p. 678: *Ἔφορόν τε γὰρ τοῦτο πρῶτον ἀπαιτεῖν ἐχρῆν, τί δή κτλ.*

Paulo infra de Amazonibus sermo est, contra quas Priamus quondam *συμμαχῶν τοῖς Φρυξίν* pugnavit,

οἵ ῥα τότ' ἦλθον Ἀμαζόνες ἀντιάνειραι

---

[1]) quae uncis inclusi, eiecerunt Holstenius et Meinekius.

[2]) Ind. Lectt. Marburg. 1878, p. XI.

— φησὶν ὁ Πρίαμος — καὶ γὰρ ἐγὼν ἐπίκουρος ἐὼν μετὰ τοῖσιν ἐλέγμην.

Priorem versum cum non recte se habere eluceat, editiones inde a Xylandro ponunt hunc ex Iliade petitum versum:

ἤματι τῷ, ὅτε τ' ἦλθον Ἀμαζόνες ἀντιάνειραι.

Sed quomodo talem corruptelam natam esse putemus? Lege modo Iliadis versus Γ, 187 sequ.

(Φρύγες) οἵ ῥα τότ' ἐστρατόωντο παρ' ὄχθας Σαγγαρίοιο·
καὶ γὰρ ἐγὼν ἐπίκουρος ἐὼν μετὰ τοῖσιν ἐλέχθην[1])
ἤματι τῷ, ὅτε τ' ἦλθον Ἀμαζόνες ἀντιάνειραι.

Statim videbis, versum illum, quem priorem exhibent codices Strabonis, compositum esse ex primo et tertio eorum, quos ex Iliade adscripsi, versuum. Itaque suspicor etiam primum illum versum a Strabone scriptum fuisse, qui optime adnectitur verbis: τοῖς Φρυξίν,

οἵ ῥα ΤΟΤΕστρατόωντο κτλ.
ἤματι τῷΙΟΤΕΤ ἦλθον Ἀμ.

Versus autem: οἵ ῥα τότ' ἐστρ. et καὶ γὰρ ἐγὼν κτλ. iterum leguntur in l. XIV, p. 681.

XII, 566 = 561, 23 = XII, 4, 10.

Niesius[2]) particulam ἔτι, quae est in verbis: ἀμφοτέρων τε τούτων ἔτι πρὸς νότον ἡ μεγάλη Φρυγία, in ἐστὶ mutari vult, „cum ἔτι nullo modo tolerari posse apparat.“ Immo vero non modo tolerari potest, sed optime quadrat ad rem, ut si in codicibus ἐστ legeretur, ἔτι puto coniectura reponeremus. Sententia enim haec est: a meridie Bithynis sunt Mysi Olympeni et Phrygia Hellespontia, Paphlagonibus autem Galati, his duobus rursus a meridie est Phrygia Magna. Particula ἔτι igitur

---

[1]) ita edd. Hom., Strabo et h. l. et p. 681 ἐλέγμην.
[2]) Ind. lectt. p. XII.

coniungenda est eum verbis *πρὸς νότον* et significatio[1]), quam ei tribui, probatur loco simillimo II, 131: *τοὺς μεσημβρινοτάτους —, τοὺς δ' ὑπὸ τούτοις —, τοὺς δ' ἔτι ὑπὸ τούτοις.*

XII, 576 = 579, 14 = XII, 8, 11.

ἐν ταύτῃ δὲ τῇ νήσῳ τῶν Κυζικηνῶν ὄρος ἐστὶν εὔδενδρον Ἀρτάκη.

Insulam Cyzicum his verbis indicari ipsa res docet; Artace enim mons in Cyzico situs est, cf. 582. Sed vitium inesse in istis mihi videtur, nam si insula aliqua vel urbs ita indicatur, ut verbis quae sunt *νῆσος* et *πόλις* gentilicii nominis genetivus adiungatur, semper hic genetivus apud Strabonem inter articulum et verba *νῆσος* sive *πόλις* collocatus est; cf. *ἡ τῶν Κυζικηνῶν νῆσος* 125. 582. 635 et *ἡ τῶν Κυζικηνῶν πόλις* 586: ubique significatur Cyzicus. Similiter *ἡ τῶν Λεσβίων νῆσος* 582 est Lesbus ipsa; *ἡ τῶν Γαδιτανῶν πόλις = Γάδειρα* 141; *ἡ τῶν Μεσσηνίων πόλις = Μεσσήνη* 361; *ἡ τῶν Τραλλιανῶν πόλις = Τράλλεις* 648. cf. 156. 170 *ἡ τῶν Ἐξιτανῶν πόλις;* 589 *τὴν Λαμψακηνῶν πόλιν;* 591 *τῆς τῶν Ἀβυδηνῶν χώρας*[2]). Itaque, cum nusquam talis genetivus verbis *νῆσος* vel *πόλις* postpositus sit, etiam hoc quem tractamus loco aut *ἐν ταύτῃ δὲ τῇ τῶν Κυζικηνῶν νήσῳ* aut *ἐν ταύτῃ δὲ τῇ νήσῳ τῇ τῶν Κυζικηνῶν* scribendum videtur. Alia esset loci medela, si quis verba *τῶν Κυζικηνῶν* ex glossemate orta esse ratus ea deleret; sed hoc vix recte, quia his deletis res parum perspicua est.

XIII, 583 = XIII, 1, 5.

In paragrapho quinta dicit Strabo Idae montes *πρό-*

---

[1]) cf. Stein. ad Herod. 5, 9.

[2]) Alia exempla vide apud Bernardakim, Symbolae critic. in Strab. vel Censura Cobeti emendationum in Strab. p. 32 ad Strab. V, 212.

πόδας esse in terram vergentes Zeleae urbis regionem, ad mare Aegeum spectantes Lectum promontorium. Et Homerum recte Lectum adeundum fecisse eis, qui a mari Idam peterent. Haec pertinent usque ad verba: *εἴρηκεν ὀρθῶς*. Sequitur additamentum, quod eiciendum esse ostendit Meinekius[1]), eiecit Müllerus. Tum Strabo pergit his: *τοὺς δὴ πρόποδας τοὺς ἐσχάτους ἐφ' ἑκάτερα φράζων οὕτως*[2]) *τὸ Λεκτὸν καὶ τὴν Ζέλειαν* (*Ὅμηρος*) *κτλ.* Ubi tandem de Zelea quid Homerus iudicaverit, dictum a Strabone invenimus? Nusquam. Itaque lacuna statuenda est post verba: *εἴρηκεν ὀρθῶς*. Quomodo autem explere eam possimus, apparet ex Epitome Palatina, quae hic vera servasse videtur[3]); in ea enim scripta sunt haec: *ὅτι Ὅμηρος τὴν Ἴδην τὸ ὄρος ἀφορίζει τῷ τε Λεκτῷ πρώτῳ ὄντι ἀπὸ τοῦ πελάγους καὶ τῇ Ζελείᾳ „ὑπαὶ πόδα νείατον Ἴδης" λέγων.* Est Iliadis versus B, 824, quem Strabo paullo infra p. 585 affert. Hic igitur versus certe a Strabone eo quem tractamus loco prolatus fuit et fortasse eodem modo cum superioribus coniunctus, quo verba subditicia coniuncta videmus, ut scriptum fuerit: . . *εἴρηκεν ὀρθῶς. καὶ τὸ „οἳ δὲ Ζέλειαν ἔναιον ὑπαὶ πόδα νείατον Ἴδης" κτλ.*

XIII, 587 in. = 11, 22 = XIII, 1, 9.

τούτους δὲ ἐκάλει καὶ Λυκίους, scil. *Ὅμηρος*.

Scribe *δὲ καλεῖ;* tempus imperfectum nihil ad hanc rem. Casaubonus et Müllerus vertunt: „vocant". De eisdem Lyciis dicitur p. 585: *οὓς καὶ αὐτοὺς καλεῖ Τρῶας*, scil. *Ὅμηρος*.

---

[1]) Vindic. p. 202.

[2]) Ita scriptum est ex coniectura Krameri, quam recepit Meinekius. Codices omnes exhibent *ὁρᾷ οὕτως*. Müllerus proposuit: *εἰρηκώς*.

[3]) Etsi caute ad textum Strabonis corrigendum adhibenda est, nam saepius res in Strabonis codicibus non traditas supplet de suo.

XIII, 612 = 56, 24 = XIII, 1, 62.

παραρρεῖ δ' αὐτῷ ἐξ Ἴδης φερόμενος ὁ Κίλλαιος ποταμός.

Corrige αὐτό, quod, quamquam optimus codex Vaticanus I (F) praebet, editores recipere non ausi sunt. *παραρρεῖν* autem semper apud Strabonem cum accusativo coniungitur: 614 *ὁ παραρρέων αὐτὴν ποταμός;* 624 *παραρρεῖ δ' ὁ Κάικος τὸ Πέργαμον;* cf. 207. 238. 247. 325. 382. 387. 409. 410. 426. 427. 428. 546.

XIII, 630 = 88, 18 = XIII, 4, 16.

ὁ Βελλεροφόντου χάραξ καὶ ὁ Πεισάνδρου τάφος τοῦ υἱοῦ.

Codices m, o, z addunt *αὐτοῦ* post *υἱοῦ*, nempe ex coniectura, quos tamen secuti sunt Coraes, Kramerus, Meinekius, Müllerus; „neque" ait Kramerus, „videtur abesse posse". Tamen abesse potest neque quidquam codicibus illis pessimis tribuendum, cum saepius apud Strabonem vox *αὐτοῦ* simili modo opprimatur, cf. 312 *Σκίλουρος καὶ οἱ παῖδες;* 325 *Ἀλκμαίωνος καὶ τῶν παίδων;* 608 *Ἀντήνορα καὶ τοὺς παῖδας;* 397 *Πεισιστράτου καὶ τῶν παίδων;* 427 *διεδέξατο ἐκεῖνος τὴν ἀρχὴν καὶ οἱ ἀπόγονοι.*

XIV, 656 = 132, 7 = XIV, 2, 16.

Ἄνδρες δὲ γεγόνασιν ἐξ αὐτῆς Ἡρόδοτός τε ὁ συγγραφεύς . . καὶ Ἡράκλειτος ὁ ποιητής . . καὶ καθ' ἡμᾶς Διονύσιος ὁ συγγραφεύς.

Cum ratio tum constans Strabonis usus postulant, ut verbum aliquod quo fama virorum expressa sit addatur; hoc enim scire minime interest, qui viri ex Halicarnasso fuerint, sed qui illustres viri. Permultis vero cum huiusmodi adiectivis Strabo utatur ad hanc rem significandam, haud facile dixeris, quod hoc loco supplendum sit; fortasse post *αὐτῆς* inserendum *ἄξιοι μνήμης.*

Exempla autem huius dicendi generis sunt haec: saepissime inveniuntur adiectiva *ἄξιοι μνήμης*: XII, 548 *ἄνδρες δὲ γεγόνασιν ἄξιοι μνήμης ἐνταῦθα;* cf. XIII, 589. 622; XIV, 635. 655 et *ἀξιόλογος*: XII, 566 *ἄνδρες δ' ἀξιόλογοι γεγόνασιν ἐν τῇ Βιθυνίᾳ;* cf. XIII, 627; XIV, 642. 656. 659. 660 (*κἀνταῦθα ἀνὴρ ἀξιόλογος γεγένηται, ῥήτωρ Μένιππος*, quae Müllerus vertit indiligenter: inde fuit Menippus, rhetor praeclarus). 670.

Ter leguntur adiectiva *ἐλλόγιμος*: XIII, 625 *ἄνδρες δ' ἐγένοντο ἐλλόγιμοι . . Περγαμηνοί,* cf. XIV, 645. 658 (*ἐκ δὲ τῶν Βαργυλίων ἀνὴρ ἐλλόγιμος ἦν ὁ Ἐπικούρειος Πρώταρχος*, Müllerus vertit falso: Bargyliis natus fuit Protarchus, Epicureus secta, vir celeber), et *ἔνδοξος*: XIII, 617 *ἄνδρας δ' ἔσχεν ἐνδόξους*, cf. XIV, 650; XVI, 757.

Bis extant *ἐπιφανής*: XIV, 645 *Κλαζομένιος δ' ἦν ἀνὴρ ἐπιφανής* et XIII, 614, et *γνώριμος*: XIV, 648 *ἄνδρες δ' ἐγένοντο γνώριμοι Μάγνητες* et XVII, 837. Semel *λόγου ἄξιος*: XIV, 661 *ἄνδρες δ' ἐγένοντο λόγου ἄξιοι Ἀλαβανδεῖς.*

Hoc attributum etiam genetivi forma induitur, ut pendeat ex verbo *ἄνδρες*, cf. XIV, 671 *γεγόνασιν ἄνδρες ἐνθένδε τῶν ὀνομαστῶν*, 657 *οὗτός τε δή ἐστι τῶν ἐνδόξων Κῷος ἀνήρ*, 643 *ἄνδρες ἐγένοντο Κολοφώνιοι τῶν μνημονευομένων.*

Aut igitur Strabo verbum *ἄνδρες* cum adiectivo coniunctum usurpat aut neque verbum *ἄνδρες* neque adiectivum, ut XIII, 608 *ἐκ δὲ τῆς Σκήψεως οἵ τε Σωκρατικοὶ γεγόνασι*, cf. 610. 658. 759 etc. Hoc autem verbum *γέγονε*, quod saepe invenitur in hac dicendi ratione, nihil significat apud Strabonem nisi „natus“ sive „ortus est“, cum apud Suidam plerumque idem valeat atque *ἤκμασε*, ut in his: *Στράβων Ἀμασεὺς φιλόσοφος γέγονεν ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος.*

XIV, 658 = 136, 1 = XIV, 2, 21.

Ἀπολλώνιος γὰρ ἐκαλεῖτο ὁ Κρόνος.

Dele articulum ex repetitione antecedentis litterae natum; cf. 838 *τοῦ καὶ αὐτοῦ Κρόνου προςαγορευθέντος;* 660 *Μένιππος, Κατόκας ἐπικαλούμενος;* 752 *Τρύφωνος ἐπικληθέντος Διοδότου;* 674 *Ἀθηνόδωροι δύο, ὧν ὁ μέν, Κορδυλίων καλούμενος.*

Praedicatum post verba *καλεῖν, προςαγορεύειν* sim.[1]) articulo apud Strabonem non utitur nisi his in exemplis, quae subscribo: V, 221 *καὶ τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἡ Θετταλία λέγεται,* subiectum est *ἡ Θετταλία,* praedicatum *Ἄργος* distinguitur verbis *τὸ Πελασγικὸν* ab altera illa terra eiusdem nominis; IX, 437 *καλοῦσι δὲ καὶ αὐτὴν καὶ τὴν Δολοπίαν τὴν ἄνω Θετταλίαν,* opposita est *ἡ κάτω Θ.;* similiter 788 *καλοῦσι δ' αὐτὴν καὶ τὴν κάτω χώραν;* 538 *καλεῖται δ' Εὐσέβεια καὶ αὕτη, ἐπίκλησιν ἡ πρὸς τῷ Ἀργαίῳ* et 537 *καλεῖται δ' Εὐσέβεια ἡ πρὸς τῷ Ταύρῳ;* 541 *καλεῖται δὲ τὰ Ἀριστερὰ τοῦ Πόντου —, ταῦτα δὲ πάντα καλεῖται τὰ Δεξιὰ τοῦ Πόντου,* adiectivum articulo substantivi vim accipit, 765 *ὁ μὲν οὖν Περσικὸς κόλπος λέγεται καὶ ἡ κατὰ Πέρσας θάλαττα;* 747 *ἣν καὶ αὐτὴν Ἀντιόχειαν τὴν ἐν τῇ Μυγδονίᾳ προςηγόρευσαν.* Articulus igitur non cum solo nomine coniungitur, sed

---

[1]) Kühner. griech. Gramm. II, p. 514, not. 5; cf. quae dixi ad Strabon. V, 216. Post verbum *ἡγεῖτο* (sive *ᾑρεῖτο,* v. i.) praedicatum cum articulo iunctum legitur apud Strabonem XV, 731 = XV, 3, 9: *οὐδὲ τοῦθ' ἡγεῖτο τὸ βασίλειον (ὁ Ἀλέξανδρος τὰ Σοῦσα), ἀλλὰ τὴν Βαβυλῶνα.* Iam Coraes et Groskurdus hunc articulum recte delerunt ex repetitione antecedentis syllabae ortum, omnes tamen editores recentiores eos summa iniuria non secuti sunt. Deinde *Ἀλέξανδρος τὰ Σοῦσα* regiam non putavit, sed fecit, elegit; cf. paullo infra in § decima: *τὴν γοῦν Βαβυλῶνα ὁ Ἀλέξανδρος προέκρινεν.* Itaque Groskurdi optima mihi videtur emendatio, qui *ἡγεῖτο* mutavit in *ᾑρεῖτο.*

rem aliquam attributam cum nomine conectit idque ab aliis discernit. Sed p. 605 in verbis *καὶ ἐν τῇ Παριανῇ δ' ἐστὶ χωρίον τὰ Σμίνθια καλούμενον* articulus *τὰ* tolerari non potest, sed in *τὶ* mutandus est; proxime antecedit: *δύο τόποι καλοῦνται Σμίνθια* et paulo post legitur: *καλοῦσι δὲ νῦν τὸ ἱερὸν Σμίνθιον*. Denique III, p. 161 in verbis *συνοικεῖται ὑπὸ πλειόνων ἐθνῶν ἡ χώρα, γνωριμωτάτου δὲ τοῦ τῶν Ἰακκητανῶν λεγομένου* articulus *τῶν* verbo *Ἰακκητανῶν* additus non recte se habet; itaque scribo: *γνωριμωτάτου δὲ τοῦ Ἰακκητανῶν λεγομένου*, quamquam possis etiam corrigere: *γνωριμωτάτου δὲ τοῦ τῶν Ἰακκητανῶν λεγομένων*. Ad nomen enim, quod inter verba *ὁ — λεγόμενος* sive *καλούμενος* sim. collocatum est, nusquam Strabo articulum adnexuit. Exempla sunt in unaquaque fere pagina.

Atque etiam ubi articulum secundum eam quam supra dixi legem usurpari licebat, saepe Strabo eum omisit; pauca eligo exempla: 328 *ἡ δὲ πρώτη* sc. *ὁδὸς „ἐπὶ Κανδαουΐας" λέγεται*; 520 *ἃ δὴ καὶ „ἐντὸς τοῦ Ταύρου" καλοῦσι*; 534 *ἣν Ἡρόδοτος „ἐντὸς Ἅλυος" καλεῖ*; 647 *Μαγνησία, πόλις Αἰολίς, λεγομένη δὲ „ἐπὶ Μαιάνδρῳ"*; 121 *ὁ μὲν βόρειος* (sc. *ὠκεανὸς*) *„Κασπία" καλεῖται θάλαττα, οἱ δ' „Ὑρκανίαν" προσαγορεύουσιν*.

XIV, 679 = 170, 5 = XIV, 5, 24.

Οἱ οὖν ἐπ' Ἀντιπάτρῳ τῷ Δερβήτῃ . . τίνα λάβωσι τάξιν;

Et loquendi usum et rei naturam Cobetus[1]) dicit suadere, ut *ὑπ' Ἀντιπάτρῳ* reponatur. Cui lubenti animo assentitur Bernardakis[2]), „nam verum est Strabonem in tali re constanter *ὑπό* cum dativo uti" et plena manu quattuor addit locos, quibus eandem sinistram vocem *ἐπί*

---

[1]) Miscellan. crit. p. 197.

[2]) Symbol. crit. p. 54.

in ὑπό corrigi iubet. Praeclara videlicet usus constantia, cum statim quinquies optimorum codicum lectiones corrigendae sint, ut sibi constet usus. Attamen non quinquies modo Strabo praepositione ἐπί cum dativo usus est, ut exprimeret „penes aliquem“ (aut esse aut facere), sed decies ter, eodem ubique usu atque significatione, quam ob rem aut semper aut nusquam ἐπί delendum est. Bernardakis igitur hos locos profert emendandos: 251 ἐπὶ τοῖς ἐχθροῖς γενέσθαι; 268 ἐπ' ἐκείνοις ὑπῆρξεν ἡ πόλις; 559 ἐπὶ τῇ Πυθοδωρίδι πάντ' ἐστίν; 665 ἐπὶ τοῖς Ῥωμαίοις ταῦτ' ἀνάγκῃ κεῖσθαι. His oppono: 558 τὰ βραβεῖα ἐπ' ἄλλῳ γενέσθαι; 571 οἱ Σελγεῖς ἐπ' ἄλλοις ἐγένοντο; 590 ἦν γὰρ ἐπ' ἐκείνῳ τὰ χωρία; 702 οὐκ ἐπ' αὐτῷ γὰρ τὸ μὴ παθεῖν ταῦτα, τὰ δ' ἐν τοῖς συμβολαίοις ἐπ' αὐτῷ ἑκάστῳ; 791 αἱ πρόςχωροι τῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐπ' αὐτῇ τεταγμέναι; 288 ἐπὶ Ῥωμαίοις ποιῆσαι τὴν σύμπασαν ἐξουσίαν; 641 ἐπὶ τοῖς κακούργοις ποιοῦν τὴν πόλιν; 781 ἅπαντα ἐπὶ τῇ τοῦ ἐπιτρόπου ποιουμένου (ἐξουσίᾳ).

Praepositioni ἐπί in hoc dicendi genere diu iam praepositio ὑπό cum dativo, cuius propria area haec esse videbatur, inimica fuit et exitiosa apud Strabonem neque editores omnes semper optimos codices secuti sunt, sed nonnunquam contra hos ὑπό scripserunt deterioribus confisi. Ὑπό igitur praebent in exemplis supra commemoratis: 590 codices m, o, z et editiones ante Kramerum; 781 codd. m, o, z; 641 codd. m, z; 791 cod. m et Coraes et Meinekius; 571 editiones inde a Casaubono usque ad Kramerum; 559 Coraes. Servemus autem omnibus his locis praepositionem ἐπί, quam codices ei quorum aliqua est auctoritas exhibent omnes, quamque commendat et loquendi usus et rei natura [1]).

---

[1]) Exempla ex aliis scriptoribus vide apud Kühner., gr. Gramm. II, p. 434; ex Thucydide ap. Kümmell., l. l. p. 24.

XVI, 750 = 258, 2 = XVI, 2, 4.

ἔστι δ' ἡ μὲν Ἀντιόχεια καὶ αὕτη τετράπολις.

Scribe *καὶ αὐτή*; Antiochia et ipsa tetrapolis est sicut tota Seleucis, cuius quarta pars est.

Quamquam etiam verba *καὶ οὗτος* nonnunquam vernacula lingua „gleichfalls" verti posse non ignoro. Sed in eis exemplis, quae Kühnerus[1]) ad hanc significationem verborum *καὶ οὗτος* attulit, semper pronomen *οὗτος*, dum subiecti (sive obiecti) notionem pluribus verbis interpositis recipit, iterum subiectum (s. obiectum) ponit. Qui quidem usus plane diversus est ab eo, qui in hoc Strabonis *καὶ αὕτη* agnoscendus esset. Quid autem hoc sibi vult: es ist aber Antiochia, auch diese ist eine Vierstadt?

Verba *καὶ αὐτός* saepissime iuxta substantivum eiusque vicarios collocantur, cf. 103 *οἱ πρὸς Αἰγύπτῳ Αἰθίοπες καὶ αὐτοὶ δίχα διαιροῦνται*; 71 *ὅπερ καὶ αὐτὸ δοκιμάζει ὁ Ἵππαρχος*; 429 *Ἀθαμᾶνες δὲ καὶ αὐτοὶ ἐκλελοίπασι*; cf. 131. 286. 345. 371. 537. 793 etc. Distat pronomen a substantivo in his: 60 *παρθένους . . . πεσεῖν καὶ αὐτὰς εἰς τὴν θάλατταν*; 435 *αἵπερ εἰσὶ καὶ αὐταὶ ὑπὸ τῷ Πρωτησιλάῳ*, cf. 267. 499. 729 al.

XVI, 769 = 318, 6 = XVI, 4, 4.

οὐ μὴν ταῦτά γε καλεῖται νυνὶ στενά, ἀλλὰ προςπλεύσασιν ἀπωτέρω καθὸ τὸ μὲν δίαρμά ἐστι . . διακοσίων σταδίων.

Scribendum esse arbitror *προπλεύσασι;* nam navigant *πρός τί?* cf. Dion. Cass. 42, 52 *ἐς τὴν Ἀφρικὴν προπλευσούμενοι.*

XVII, 789 = 351, 10 = XVII, 1, 4.

συλλήβδην δ' εἰπεῖν, ἡ ποταμία μόνον ἐστὶν Αἴγυπτος ἡ ἑκατέρωθεν ἐσχάτη τοῦ Νείλου κτλ.

---

[1]) Gramm. II, p. 557, § 467, 8.

Müllerus vertit ita: „denique, ut verbo dicam, fluvio irrigua est sola ea pars Aegypti, quae iacet ad utramque Nili ripam". Hanc quidem sententiam [1]) in eis quae adscripsi Strabonis verbis inesse oportere docent ea quae antecedunt quaeque his verbis comprehenduntur *(συλλήβδην)*. At articulus *ἡ* cum praedicato *ποταμία* coniunctus ferri nequit, sed delendus est, cf. quae dixi p. 12; facillime autem *Η* inter *Ν* et *Π* nasci potuisse apparet.

Quid vero de verbo *ἐσχάτη* statuendum est, quod huc minime quadrare manifestum est? Kramerus delet, Meinekius asteriscum appinxit corruptelae signum, Müllerus ex libr. I, 32 = I, 2, 25[2]) colligit *ἐπιχώσει* fortasse emendandum esse, quod nemini eum probaturum opinor. Ego conicio *συνεχεστάτη* scribendum esse, ut significet „quae continenter sive arctissime iacet ad utramque Nili ripam"; quae sententia aptissima est ad rem, nam in sequentibus Strabo hanc fluvialem terram perangustam esse tradit. Syllaba vero *συν* abiit propter eam quae antecedit — *θεν*; *εσχατη* autem saepius in codicibus ex — *εχεστατη* ortum invenimus, ut apud ipsum Strabonem paullo infra p. 791 pro superlativo *προσεχέστατον* in codicibus C et D legitur *προσέσχατον*, in reliquis omnibus *πρὸς ἔσχατον*. Verbum *συνεχής* extat bis apud Strabonem cum genetivo coniunctum: VI, 256 *ταύτης δὲ συνεχὴς*

---

[1]) Idem Strabo supra p. 787 hac ratione expressit: *τὴν μὲν Αἰθιοπίαν οὔτε πᾶσαν διέξεισιν ὁ Νεῖλος οὔτε μόνος . . ., τὴν δὲ Αἴγυπτον καὶ μόνος καὶ πᾶσαν κτλ.*

[2]) *τί δ' ἄλλο ἡ Αἴγυπτός ἐστι πλὴν ἡ ποταμία, ἣν ἐπικλύζει τὸ ὕδωρ;* Ceterum in hoc enuntiato optimi codices A et B exhibent *πλὴν ἧ*, quos interpretum unus Coraes recte secutus est, alii omnes falso *πλὴν ἡ* ediderunt; cf. VII, 300 *θησαυρισμὸν δ' οὐκ εἰδότες οὐδὲ καπηλείαν, πλὴν ἢ φόρτον ἀντὶ φόρτου*, quo loco Meinekius nullo iure scripsit *πλὴν εἰ*.

Τερίνα et XVI, 776 *συνεχῆ δὲ τοῦ Ποσειδίου φοινικῶνα εἶναι*, cum dativo permultis locis, cf. 61. 109. 194. 250. 358. 405. 490. 507. 604. 629. 751. 785. 794. 826 etc. Idem significat verbum *προσεχής*, quo saepissime Strabo utitur, sed semper cum dativo, nusquam cum genetivo, cf. XV, 725 *προςεχεστάτη τῇ Ἰνδικῇ*, XIV, 681 *καθ' ἃ δὴ καὶ προςεχεστάτη τῇ ἠπείρῳ ἐστί*; cf. 72. 137. 169. 223. 320. 416. 524. 589. 682. 780. 791. 834 etc.

3 2044 085 170 371